

ubi egerim, quoque modo, cum agerem, adfectus fuerim. Ibi sunt omnia, quae sive experta a me, sive credita memini. Ex eadem copia etiam similitudines rerum, vel expertarum, vel ex eis, quas expertus sum, creditarum alias atque alias, et ipse contexo praeteritis, atque ex his etiam futuras actiones, et eventa, et spes; et haec omnia rursus quasi praesentia meditor. Faciam hoc, aut illud; dico apud me in ipso ingenti sinu animi mei, pleno tot et tantarum rerum imaginibus, et hoc, aut illud sequetur. O si esset hoc, aut illud! Avertat Deus hoc, aut illud! Dico apud me ista: et cum dico, praesto sunt imagines omnium, quae dico, ex eodem thesauro memoriae, nec omnino aliquid eorum dicerem, si defuissent. Magna ista vis est memoriae, magna nimis, Deus meus, penetrabile amplum et infinitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et vis est haec animi mei atque ad meam naturam pertinet, nec ego ipse capio totum, quod sum. Ergo animus ad habendum se ipsum angustus est, ut, ubi sit, quid sit non capiat? Numquid extra ipsum, ac non in ipso? Quomodo ergo non capit? Multa mihi super hoc oboritur admiratio; stupor adprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et oceani ambitum, et gyros siderum, et relinquunt se ipsos, nec mirantur. Quod haec omnia cum dicerem, non ea videbam oculis: nec tamen dicerem, nisi montes, et fluctus, et flumina, et sidera, quae vidi, et oceanum, quem credidi, intus in memoria mea viderem spatiis tam ingentibus, quasi foris viderem. Nec ea tamen videndo absorbui, quando vidi oculis; nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum. Et novi, quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi.

CAP. IX. NON MODO RES, SED ETIAM DISCIPLINAE ET IMAGINES
A MEMORIA CAPIUNTUR, ET RECORDANDO PROFERUNTUR.

Sed non ea sola gestat immensa ista capacitas me-